

**INDEX LECTIONUM**  
**IN**  
**UNIVERSITATE LITERARIA**  
**JAGELLONICA**

**INDE**  
**A DIE 1 OCTOBRIS ANNO MDCCCXXXVII**  
**USQUE**  
**AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXXVIII**  
**HABENDARUM.**



---

**CRACOVIAE**

**TYPIS STANISLAI GIESZKOWSKI.**

773 164

JOAN. IBER. STEPH. RZESINSKI

UNIVERSITATIS GRAECOPOLITANAE

# INDEX LECTIIONUM

ANNO DOMINI MCMXXIII

Autumnus

II

JOANNES CANTIS STECZKOWSKI

## UNIVERSITATE LITTERARIA

ANNO DOMINI MCMXXIII

### LECTIO

Lectio in Bibliotheca publica Univer. Graecopolitanae, semestri hyema-

lis, diebus Lunae et Venere, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.

9-11, diebus Mercurii et Jovis, diebus Martis hor.



CHACOVIAE

TPIS STANIS. STECZKOWSKI

## CIVIBUS LITERARUM STUDIOIS

S. P.

**Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis**

**RECTOR**

**ANTONIUS MATAKIEWICZ**

CUM

**SENATU ACADEMICO.**

**K**ADLUBKONEM, historiae polonicae antiquissimum scriptorem, ab aliis laudari, ab aliis vituperari, ne eos quidem fugit, qui vel primis, ut dicitur, labris rei literariae nostrae historiam gustavere. Nos a ferenda sententia abstinentes, hic nonnisi manuscriptorum hujus auctoris librorum notitiam a Georgio Samuele Bandtkie (cujus in universitate nostra literaria de erudienda juventute merita, quemadmodum omnium, qui literis student, mentibus infixata haerebunt, ita doctorum sermonibus semper celebrabuntur) conscriptam, a nobis auctam, typis exscribendam curavimus, persuasum habentes, industriam nostram in consignandis Kadlubkonis manuscriptis libris positam, pergratam fore iis, qui in eo laborant, ut historiae cognitionem e fontibus

consequantur. Sed jam videte, Cives optimi, qui sint usque ad hunc diem viris doctis noti

### Codices Vincentii Kadlubkonis.

I. 1) Codex Wratislaviensis s. Rhedigerianus, a. 1441 scriptus chartaceus, folio, plerumque easdem lectiones habens, quas vir doctissimus, Comes Hippolitus Kownacki in codice Kuropatniciano invenit. Vid. Ossoliński *Wiadomości* T. II. p. 596. Hunc codicem contuli a. 1806 cum edit. Lips.

II. Codices Varsavienses publici quatuor, et duo, qui a privatis possidentur.

2) Kuropatnicianus, de quo vide Hippoliti Kownacki p. IV. praef. Codex membranaceus, 4<sup>to</sup>. exhibitus in ed. Varsav. 1824, *κτῆμα* Soc. Philomathicae Varsaviensis.

3) Codex bibliothecae Congregationis Missionariorum ad S. Crucem Varsaviensis a. 1451, chartaceus, 4<sup>to</sup>. a viro doctissimo Comite H. Kownacki examinatus.

4) Codex bibliothecae Universitatis Varsaviensis, fol. chartaceus, majori ex parte a me spectatus a. 1815, a Kownacio neglectus.

5) Alter codex bibliothecae publicae Varsaviensis. Vid. Kadlubkonis ed. Varsav. 1824. p. IV. V. a me non inspectus.

6) Codex Ill. Comitum Josephi Sierakowski, mihi ignotus. Vid. *ibid.* p. IV.

7. Codex Działyńscianus a. 1400 scriptus, cujus spectandi copia mihi non fuit. Vid. *ibid.*

III. 8) Codex Joannis Fabri, episcopi Vindobonensis 1540, sec. XIV seu XV. Vid. Ossoliński *Wiadomości* T. II. p. 598. Hunc codicem in aedibus Ill. Comitum Ossoliński contuli cum editione Lipsiensi, quum Vindobonae essem anno, ni fallor, 1818 s. 1819. Excerptis lectionibus varian-

tibus, ad quem pertinaerat, codicem hunc ad bibliothecam Caesaream Vindobonensem reddidi.

IV. 9—14) Codices sex Pulavienses, de quibus videatur editio Kadlubkonis Varsaviensis 1824. Hos examinandi mihi non fuit facultas, quoniam Pulaviis, quum ibi essem, nondum e bibliotheca Czackiana in bibliothecam Celsissimi Principis Adami Czartoryscii, ducis Klewanensis, illati erant. Quod nisi fuisset, non dubito, quin humanitas Celsissimi Ducis alias facilem mihi ad hos codices praebuerit aditum. Sed quum Pulavii Cracovia ultra triginta milliaria polonica distent, tam longinquum, codicum conferendorum causa, ut optassem, iter facere non potui.

V. Octo codices bibliothecae Cracoviensis universitatis.

15) Codex Petricianus sec. XV. 4<sup>to</sup>. Ante textum »Hasc Vincentii Kadlubci reliquias ex naufragio lacerantum Sendomiriae ereptas, D. Sebastianus Petricius, medicus, bibliothecae Academiae Cracoviensis anno Domini 1602 febr. 27 obtulit.« Desinit codex hic ad cap. XI. lib. IV. ed. Lipsiensis p. 782. v. 9. *nullum illi jus co(competit)*. Reliqua omnia manus lacerantium evulsere. Desunt praeterea passim folia aliquot excisa aut evulsa. Scriptura codicis totius una eademque. Major scriptio textus, minor character glossarum interlinearium et commentarii perpetui. Folio primo recto incipit commentarius idem, quem Herburtus in editione Dobromiliensi edidit a. 1612: *Legenti michi illas illustris Cassiodori epistolas etc.* Oblita atramento recentior sec. XVI. forsitan inscriptio: *Kronika Serwaczy Nyebylecz*. Constat totus codex foliis 272. Signum chartae caput bovis. Ep. XI. lib. II. In textu nulla epistolarum seu colloquiorum mentio, in commentario eadem, quae apud Herburtum partitiones.

16) Codex chartaceus sine mentione temporis, quo scriptus fuit. Rubricatio indicat epistolas et lib. IV. capita. Caput bovis signum chartae;

scriptio in priore codicis parte neogothicae antiquiori, in posteriore recentiori cursivae seculi XV. propior. Commentarius vulgaris, glossae interlineares diversae. Textum et commentarium folio 360 excipit, post duo folia vacua, index octo foliis. Sequitur tandem folio secundo: *Qualiter primo Cruciferi de domo Theotunica, qui alio nomine hospitalarii seu Marie Jerosolimitane terram Culmensem possidere inceperint*. Narratio haec, duobus foliis constans, desinit in Hedvige regina, quae post mortem Ludovici Ungari, a. 1384 regno potita est.

2571  
17) Similis codex, uno tamen caractere descriptus, cum eodem commentario, glossis interlinearibus diversis. 4<sup>to</sup> foliis 299. In compactura est regis Vladislai III. convocatio ad bellum (ad guerram) polonice *wieć* dicta 1439. Finis Commentarii talis: *Quem* (scil. Vladislaum Jagellonis filium 1434) *Reverend. Archiep. Gnesn. Albertus Jastrzambecz etc.... in ecclesia Cracoviensi coronavit, cujus regnum Deus omnipotens, dilatet et prosperum faciat, sibi que una cum suis regnicolis gratiam in presenti et gloriam in futuro misericorditer concedat. Idem Deus per secula dictus. Amen. Sequitur.....* Huic epilogo 38 folia vacua subnexa sunt, in quibus librarius aut aliud Chronicon, aut opusculum, aut continuationem scribere voluit. Hunc codicem igitur non longo temporis intervallo post annum 1434 scriptum fuisse apparet. Eodem fere tempore et commentarius vulgaris absolutus fuisse videtur, quem Ill. Comes Ossoliński, vir doctissimus Joanni Dambrowcae (Dombrowka) tribuit. Vid. *Wiadomości* T. II. p. 430 et 610. Constat hic codex foliis 299. Nec dubitamus, quin Joannes Dambrowka fuerit auctor commentarii hujus, quem Herbutus edidit; sed tamen, utrum omnium primus Joannes Dambrowka historiam Kadlubkonis praelegerit, an fuerit aliquis brevior et concinnior commentator Kadlubkonis, aetate illius

Joan. Dambrowcae (\*) prior, hoc nec affirmare, nec negare maluerimus. Ipsum quidem Joan. Dambrowkam, virum beneficentissimum, utpote multorum, quae bibliotheca nostra possidet, scriptorum liberalem datorem, ea qua par est pietate colimus. Ille enim ultra triginta variorum auctorum codices manuscriptos, quos aut ipse scripserat, aut suo aere coëmerat, scriptos a. 1392, 1417, 1430, 1448, 1453, in bibliothecam universitatis Cracoviensis intulisse videtur; in quibus, ut alios taceam, hi sunt: Joh. Saresberiensis Polycraticus 1435, Ciceronis Tusculanae, ipsius autem manu scripti libri Jo. Damasceni Expositio fidei, latine 1448. S. Thomae Aquinatis libri de veritate religionis Christianae 1473. Habemus alium quoque virum bonum Stanislaum Dambrowka, qui tamen nec tantum ipse scripsit, nec bibliothecae tanta dona contulit; nam et Valerii Maximi libros IX a. 1444 non illi, sed Joanni acceptos referre malumus. Quae Braunius p. 140 de naevis commentarii hujus recte et jure suo protulit, neutiquam improbabimus; sed haec vitia potius aevi illius barbariei, quam Joannis Dambrowcae sive negligentiae, sive inscitiae adscribemus; siquidem nemini fere ultra aevum suum sapere contigit. Ad meliores, qui renascentium literarum auroram orientem colerent, homines, Joannem Dambrowkam referendum fuisse, vel inde, quod auctores classicos legerit et descripserit, liquido patet, et exstant in ipso commentario innumera eruditionis boni viri vestigia, ex quibus eum, tum classicos, tum mediæ aevi scriptores, diligenter manibus trivisse patet.

18) Similis codex cum commentario vulgari, glossis interlinearibus diversis, in fine tamen libro IV. c. XV. commentario destitutus; constat foliis 388, 4<sup>to</sup>. Signum chartae caput bovis. Inscriptio codicis in ligatura:

(\*) Joannes de Dambrowka a. 1421 ad gradum baccalaureatus promotus, a. 1427 laurea magistri philosophiae redimitus, annis 1433 et 1434 ordini philosophorum praefuit.

*Nicolai de Opoczno Cronica Lechitica Vincenciana.* In fine leguntur haec verba: *Explicit cronica lechitica Vincenciana per manus Nicolai de Lathowyx scripta elimataque eo anno, quo festum Adalberti beati cecidit magna feria sexta ante carnisprivium 1451.*

2573. 19. Codex quintus bibliothecae universitatis Cracoviensis, sine commentario cum glossis marginalibus libro I. et folio primo et secundo libri secundi, unde cessant omnes abhinc glossae. Rubricatio textum per epistolas et libr. IV. per capita, ut vulgo distinxit; in fine tamen codicis per folia viginti quinque nondum fuit perfecta. Folio ultimo verso codicis: *Et sic est finis hujus operis anno 1471, feria Sabbato ante Letare hora vicessima ante completorium, de quo sit Deus benedictus in secula seculorum.* Constat hic codex foliis 130, 4<sup>to</sup>. Signum chartae est, ut in ceteris, caput bovis, aliter tamen expressum; nam inter cornua non longior lineola stellata, sed latior et brevior et crux cum rosa in apice.

2596. 20) Codex Vincentii Kadlubkonis sextus bibliothecae universitatis Cracoviensis, 4<sup>to</sup>. constat fol. 327. Signum chartae caput bovis inter cornua baculus in cujus apice rosa. In fronte codicis, tribus foliis inest Genealogia Ducum et Regum Poloniae e stirpe Piastea ad Hedvigin reginam. Folio 326 ultimo verso Chronici desinit commentarius vulgaris, ut Nr. 14, subscriptus, post voculam *Amen: a. 1457 (\*)* Deinde haec leguntur folio eodem et sequenti recto: *Vincencius Polonus Editor hujus operis existit, vir acris ingenii, divina et humana literatura insignis, ex preposito Sandomiriensi, anno 1208 in presulem per Capitulum Cracoviense electus per Innocencium Papam tercium confirmatus et per*

(\*) Folio 146 in fine libri II. haec legimus: *Explicit secundus liber Cronice Vincenciane re-grossatus acsi totus per Andream de P. in Opatow tunc morantem Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, finitus tempore quadragesimali die tertia ante beate Marie virginis annunciacionem.*



*Henricum Archiepiscopum Gnesdnensem consecratus presedit annis 10 et demum obtenta ab Bovorio (Honorio) Pappa licencia renuncians Episcopo religionem Cisterciensis Ordinis in Monasterio Andrzejoviensi profitetur atque ibi sub regula observancie lustro exacto Cristo Cristi miles spiritum reddit et in hori medio corpus ejus a fratribus reconditur, anno 1223. Exstat ejus egregium opus de gestis Polonorum alto contextum stilo. Tres tribus ex causis inicium habens, quod presens multi lectitant vel ob hystoriae meritum vel eleganciam scripcionis etc. Anno Domini 1459 rubricata m. p. p. a. Hunc codicem, folio verso vacuo relicto, excipit folio sequenti aliud opusculum glossis interlinearibus instructum: *Disciplina Scolarium*, opusculum Boethii spurium ad Martinianum (vid. *Hamberger III. p. 322*). Fol. 372 v. in fine libelli a. 1458 et in glossa interlineari haec verba: *in opportunitate penes Baccalaurium Georgium*. Utrum hic Georgius Baccalaurius utriusque libri scriba fuerit, nec ne, in suspenso relinquimus. Non Boethii, sed Thomae Cantimpratensis seu Brabantini opusculum de disciplina scholarium esse docuit Jacobus Thomasius.*

21) Septimus Vincentii Kadlubkonis codex in bibliotheca universitatis Cracoviensis est in folio sine commentariis et glossis interlinearibus inter alia opuscula ligatus. Signum chartae ut N. 19. Primum voluminis locum occupat *Lucianus seu cujusdam anonymi fratris ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini dictionarium* s. a. et l. Secundum *Bertholdus Isnacensis Vocabulista* sine a. et l. fol. 133. Tertium post duo folia vacua noster Vincentius Kadlubek fol. 157. In fine folio recto 231 col. I. *Explicit Cronica Polonorum compilata per Vincencianum* (quod correxit scriba in Vincencium).

Eodem folio recto incipit aliud *chronicon* ad a. 1410 foliis decem. Prima hujus chronici verba: *Beatus Jeronimus in cronica* etc. (\*). Deinde sequuntur quinto loco *Secretum secretorum Aristotelis* fol. 19. sexto *Canticum canticorum* fol. 12. In fine leguntur haec: *Expliciunt cantica canticorum cum suis expositionibus* (nigro, sed reliqua rubro colore) *anno Domini Millesimo CCCCXXVII temporibus venerandi patris Domini Petri Abbatis per fratrem Johannem sue ven. p. minimum oratorem*. Haec subscriptio, quamvis soli Cantici canticorum exemplari adposita ad universum codicem referenda esse videtur, quia hucusque una eademque manu est scriptus. Septimo et ultimo loco alia manu scriptae tribus foliis *litterae Johannis de Lukowo, Archidiaconi Gneznensis et Cancellarii Poznaniensis ad Parochos seu Ecclesiarum Rectores in Decanatu rurali Gneznensi a. 1488*.

2574  
2576  
22) Octavus codex Vincentii Kadlubkonis in bibliotheca universitatis Cracoviensis, 4<sup>to</sup>, foliis 226, sic incipit: *In nomine Domini in cujus nomine vivimus, moriemur et sumus Amen. Legenti michi illas illustris Cassiodori epistolas* etc. Finis codicis est ut Nr. 15 et 19. Tum verso folio 232. *Secuntur gesta Polonorum, que incipiunt, ubi predicta dicta terminantur et primo qualiter Lestko albus efficitur Cracoviae perpetuus possessor*. Congruit autem ista continuatio cum Boguphali, Posnaniensis Episcopi, Chronico (Sommersb. II. 56) et cum Baszkonis continuatione (ibid. 78) et cum anonymi Gnesnensis Chronico a p. 101 ad 154 cum hoc tantum discrimine, quod alia ommissa, alia vero fusius enarrata sunt. Folio 339 verso: *Et sic est finis* etc. Hactenus Bandtkie.

(\*) Libellus hic etsi iisdem, quibus Anonymi Archidiaconi Gnesnensis, brevior Chronica Cracoviae (Sommersberg II. 78) verbis incipiat, non tamen ejusdem exemplum est, utpote multis locis auctior, multis longe contractior.

Superest, ut huic manuscriptorum Kadlubkonis librorum descriptioni adjungamus:

VI. Quatuor codices, qui in privatis bibliothecis Cracoviae adservantur. Ex his duo sunt in bibliotheca ad aedem cathedralem Cracoviensem, duos autem possidet bibliothecarius Universitatis nostrae Josephus Muezkowski.

23) Et illorum quidem alter codex chartaceus in 4<sup>to</sup>, in quo inde ab initio usque ad fol. 92 Epistolae Aeneae Sylvii aliaque sunt scripta. Codex nostri Kadlubkonis a folio 84 hujus manuscripti libri incipiens verbis: *Circa incitium istius libri, quedam generalia* (ed. Dobromil. p. 5.) quae sequuntur 184 folia occupat. Textus, qui in epistolas est distinctus, habet glossas interlineares; commentarius vero perpetuus multo locupletior eo, quem in editione Herburtiana legimus, ad marginem est scriptus. Folio 268 verso: *Expliciunt Cronice de gestis illustrium principum ac regum regni poloniae reportate per reverendum magistrum Johannem Odelpex (sic) protunc rectorem scole Collegiate ad beatam Virginem Sandomiriae per me N. de Bu. ipso die translacionis S. Stanislai anno Domini MCCCCLXXVII etc.* Haec Chronica excipit Liber parabolarum Alani, anno 1471 scriptus vigintique foliis (269—289) absolutus. Alannus de Insulis sive ex civitate Insulana olim Gallo-Flandriae metropoli oriundum, doctorem parisiensem, primo monachum, tum episcopum, tandemque monachum fuisse, et ob variam scientiam cognomen *Doctoris universalis* meruisse atque a. 1202 supremum diem obiisse, auctor est Oudinus in Dissertatione de unico Alano. Editiones autem Parabolarum ejus recenset Jo. Alb. Fabricius in Bibliotheca lat. med. et infimae aetatis. Uno folio eoque ultimo scriptum est Carmen latinum de clade Cruciferorum ad Grunfelt.

24) Secundus illius bibliothecae codex est in folio. Signum chartae caput bovis, inter cornua baculus in cujus apice rosa. Codex hic 204

foliis constans, habet glossas interlineares cum perpetuo, in omnibus fere cum commentario superius laudati codicis congruente commentario. In primo folio recto, quod variis notis ad rem familiarem spectantibus est impletum, ad sinistram signi notarii exprimentis duas claves decussatim cum intermedio pugione, cujus cuspis deorsum versa in mediam literam V, nominis Julianus, excurrit, scriptum est: *Conventus S. Spiritus Cracoviensis*. Ad marginem vero superiorem manus recentissima adnotavit: *Illustrissimum Capitulum Cath. Cracov.* quam notam folio 67 verso repetitam videmus. Folio primo verso incipit codex a vulgari commentario *Legenti michi* etc. Textus non est in epistolas distinctus, sed commentarios numeris earum librarius notavit. Post folium 24, in quo verso res de principatu *Pompilii*, nepotis Leszkonis, desinit verbis *velut siderum radiis recreor* (ed. Herb. p. 91), desunt aliquot folia excisa, ita, ut numero 25 signata plagula, epistolam XI libri II. contineat. In fine folii 67 recti ad calcem secundi *Chronicorum* libri haec legimus: *Expliciunt dicta primi et secundi libri Cronice reportate* (omnia haec verba scripta sunt colore caeruleo) *post reverendum maystrum iohannem de Schadek per manus iohannis de magna Polonia finita clericum suum* (haec minio) *minutissimum et fidelem servum in atrio existentem. Hic iam prosecuntur alia et sunt ista in tertio libro plana* (colore caeruleo). In fine codicis i. e. folio 204 recto: *Et sic est finis hujus Cronice anno domini 1440 sexto.* Johannem de Schadek in universitate Jagellonica a. 1427 gradum baccalaurei, anno vero 1430 dignitatem et nomen magistri adeptum, postea in ordinem professorum facultatis philosophicae adscriptum, anno denique 1434 huic facultati praefuisse testatur liber promotionum in bibliotheca nostra adservatus. Ego hunc locupletiozem in Kadlubkonem commentarium, quem supra laudati codices bibliothecae Cathedralis continent, ab Joanne de Scha-

dek, qui cum Joanne Dambrowka, professoris munere in facultate philosophica functus est, et a. 1433—34 ordini philosophorum praefuit, auctum esse crediderim. Utut sit, cum commentatio haec auctoris in veteribus scriptis versati atque commentatore editionis Dobromiliensis longe doctioris, diligentius, quam commentarius editionis Herburtianae ostendat, quae vis subjecta sit verbis barbaris passim a Kadlubkone usitatis, non est dubium, quin ~~commentarius hic~~ in explicanda verborum significatione, quae iudex editionis Kownacianae non satis bene enucleata esse conqueritur (*Jahrbücher der Literatur Wien* 1824 . T28 f. 204) haud parvo adminiculo futura sit.

25) Codex Muczkowscii chartaceus, in folio. Signum chartae corona cum cruce, cujus extremae partes hastarum speciem praebent, ita tamen, ut quae e corona sursum excurrit pars, ceteris longior sit. Priora hujus codicis quinque folia equo sunt signata. In codice hoc 135, foliorum, in quo praeter commentarium in praefationem *Tres tribus ex causis* etc. seu ut librarii verbis dicam, praeter *declarationem textus*, eamque non cum hac, quae in editione Dobromiliensi reperitur, sed cum illa locupletiori, quam in codicibus bibliothecae cathedralis Cracoviensis laudavimus, consentientem, nulli sunt commentarii neque glossae interlineares. Totum opus divisum est in quatuor libros, ita ut in tribus prioribus nulla sit epistolarum mentio, sed textus per nomina *Matheus* et *Johannes* sit distinctus. Quae omnia adducunt nos, ut hunc codicem reliquis antiquiorem esse existimemus, licet nunquam invenerimus indicium, unde, quo tempore scriptus fuerit, conjecturam probabilem capere possemus.

26) Alter codex Muczkowscii chartaceus, in 4<sup>to</sup>. Signum chartae caput bovis cum baculo inter cornua, in cujus apice rosa. Codex hic constat 187 foliis, quorum 171<sup>um</sup> ad marginem inferiorem ita lacerum est,

ut tres versus desiderentur. Folio 187 verso colore rubro scripta haec reperiuntur: *Explicit liber Cronicatorum de Gestis Polonorum repportatus per Johannem de Sschabijcxe moram trahens (sic) Cracowye in scola Sancte Anne presidenti protunc Baccalaureo proprio nomine nuncupato dominicus et per eundem liber pretactus pronunciatu et est finitus in vigila (sic) petri et pauli apostolorum anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto.* Folio primo recto incipit commentarius in prologum *Tres tribus ex causis* (qui prologus post fol. 24 una cum quatuor epistolis est repetitus), nec non in quinque priores epistolas, in quas in hoc codice priores libri tres sunt divisi. Hi commentarii iidem sunt ac illi in manuscriptis bibliothecae cathedralis laudati. Cetera, praeter glossas interlineares, nullo commentario sunt instructa. Chronicon hoc folio 191 recto excipiunt *Ovidii Epistolae Heroidum*, quarum in fine folio 257 verso: *Explicit liber Ovidii Epistolarum reportatus per quendam Johannem de S. pronunciatu per magistrum reverendum Martinum de Slupcxa, finitus in Octava infancium occisorum* etc. et ad calcem ejusdem folii atramento nigro eadem, quae supra, repetita sunt, sed additum est *anno 1456 reportatus per Johannem de Sschabijcxe.* Haec excipit: *Ovidii Remediorum amoris liber*, hunc autem sequuntur versus memoriales:

*Incipit iste Cato, qui dat bona doemata nato.*

*Lector in hoc prato, flores lege pectore grato.*

*Lingua paterna sonat, quod ei sapientia donat. etc.*

Sed haec quidem hactenus; vos vero, Cives optimi, hortamur, ut scholis quas hoc anno in universitate nostra habendas indicimus, frequentes interesse et eo, quo par est, ardore operam dare non negligatis, tem-

pusque a scholis vacuum in literis consumatis, haud immemores illorum,  
 quae divinus vates Venusinus cecinit.

Qui studet optatam cursu contingere metam

Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,

utque Deus O. M. studiis vestris faveat, optamus.

## ORDO THEOLOGORUM.

JOANNES STANISLAUS PRZYBYLSKI

S. TH. D. P. O. P. H. T. FACULTATIS THEOLOGICAE DECANUS.

Institutiones Dogmaticas auditoribus anni secundi, diebus Lunae, Martis,  
 Mercurii, Veneris et Saturni hora 2—3 duce Kluepff; Ethicas vero  
 auditoribus anni tertii, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris  
 hora 3—4 duce Stapf explicabit.

Idem ad tempus, dum munus professoris vacat, Archaeologiam, Hermeneuti-  
 cam, Linguas Biblicas et Exegesim Sacram Veteris Foederis, auditori-  
 bus anni primi, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora  
 10—11; jam vero Introductionem in Libros Sacros Veteris et novi  
 Foederis, nec non Exegesim Novi Foederis, auditoribus anni secundi,  
 iisdem ut supra diebus, hora 11—12 profitebitur.

LEO LAURYSIEWICZ

S. TH. D. P. O. P.

Theologiam Pastoralem, Catechetice, Didactice et Eloquentiam Sacram  
 auditoribus anni tertii, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris  
 hora 2—3, die vero Saturni hora 11—12 tradet.

Idem vicariam operam praestans, Historiam Ecclesiasticam et Patristicam, auditoribus anni primi, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora 11—1, die autem Saturni hora 9—10 explanabit.

## **ORDO JURISCONSULTORUM.**

**FERDINANDUS KOJSIEWICZ**

J. U. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS JURIDICAE DECANUS.

Horis mat. 9—10. quotidie, exceptis diebus festis, Oeconomiam politicam et jus Naturae (privatum, publicum et gentium) explicabit auditoribus 1mi anni. Horis vero 8—9. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris Politicam et notitiam status rerum publicarum (statisticen), juncta redditus publicos tractandi arte, auditoribus 2di anni tradet.

**ADAMUS KRZYŻANOWSKI**

J. U. D. P. P. O.

Horis mat. 9—10½ quotidie, exceptis diebus festis, docebit jus civile, mercantile et processum extrajudicalem.

**FELIX SŁOTWIŃSKI**

PHIL. ET JURIS UTRIUSQ. D. P. P. O.

Horis mat. 8—9. Diebus Veneris et Saturni Historiam juris Romani duce Bachio; institutiones, duce Heineccio auditoribus 1mi anni; tum Horis pom. 3—4. die Martis, diebus vero Jovis, Veneris et Saturni hor. mat. 8—9. auditoribus 2di anni Jus Ecclesiasticum secundum programma, quod typis edidit; Horis denique mat. 9—10. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis auditoribus 2di anni Pandectas duce Westenbergio, e propriis schedis interpretabitur.



**ANTONIUS MATAKIEWICZ**

J. U. D. P. P. O.

Horis mat.  $\frac{1}{2}8-9$ . diebus Lunae et Jovis leges fundamentales civitatis Cracoviensis et jus criminale auditoribus primi anni exponet.

Horis autem mat.  $\frac{1}{2}8-9$ . diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni processum civilem judiciale auditoribus 3tii anni praeleget.

**ORDO MEDICORUM.****FLORIANUS SAWICZEWSKI**

M. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS MEDICAE DECANUS.

Horis mat.  $7\frac{1}{2}-9$ . diebus Lunae, Mercurii et Veneris Pharmaciae duce Geiger, diebus autem Martis, Jovis et Saturni Chemiam generalem ducibus Berzelio et Dumas docebit; praeterea die Jovis

Horis pom. 2—3. Chemiam practico-forensis Hünfeldum secuturus illustrabit.

**ALOYSIUS ESTREICHER**

PH. ET M. D. P. P. O. HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Horis mat. 10— $11\frac{1}{2}$  diebus Lunae, Mercurii et Veneris historiam naturalem universalem, diebus vero Martis, Jovis et Saturni, iisdem horis semestri hyemali Mineralogiam ducibus Berzelio et Leonhardo nec non Zoologiam duce Oken, semestri vero aestivo

Horis pomer. 7—8 Botanicen generalem secundum Lindley et Richard, specialem vero juxta Winkleri Handbuch der Gewächskunde 1834. docebit.

**JOSEPHUS BRODOWICZ**

M. D. P. P. O. INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR.

Horis mat. 8—9. praxin medicam ad lectos aegrorum; 9—10 Pathologiam et Therapiam specialem, e propriis manuscriptis, ducibus Hildebrand et Raimann quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, docebit.

**LUDOVICUS BIERKOWSKI**

PHIL. M. ET CH. D. P. P. O. INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Horis mat. 10—11. quotidie, praxin chirurgicam in instituto clinico per integrum annum moderabitur.

Semestri hyemali horis mat. 10—12 diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris Chirurgiam theoreticam generalem et specialem, secundum opus Chelii e propriis scriptis explicabit.

Horis mat. 11—12. die Saturni doctrinae de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis partem secundam e libro proprio (Choroby syfilityczne czyli weneryczne. Kraków 1833) tradet. Hoc cursu finito Desmurgiam et Mechanurgiam seu fascias et machinas imponendi artem, juxta varios auctores ex propriis scriptis explicabit.

Semestri aestivo horis mat. 11—12 die Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris Acirurgiae seu cursus operationum chirurgicarum partem secundam, duce libro suo Berolini 1827 edito, in linguam Polonicam translato, docebit; operationes vero chirurgicas in cadaveribus bis per mensem horis non definitis instituet.

Horis mat. 11—12. die Saturni doctrinae de cognoscendis et curandis morbis oculorum partem primam et secundam ex propriis scriptis tradet.

## ANTONIUS KOZUBOWSKI

M. ET. CH. D. P. P. O.

Horis mat. 9—10. Anatomiam, duce Hildebrandt,

Horis vero pom. 3—4. Physiologiam, duce J. Müller, quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, per integrum annum exponet. Semestri insuper aestivo iisdem diebus, horis 5—6 pom. Anatomiam pathologicam praeunte Lobsteino docebit.

Exercitationes anatomico-practicae a mense Octobri ad Aprilem, quotidie per duas horas, auxiliante professori Adjuncto, a candidatis instituentur.

## JOSEPHUS MAJER

MED. ET CHIR. D. P. P. O.

Semestri hyemali hor. mat. 8—9 diebus Lunae et Veneris Elementa Psychologiae et Logices, horis mat. 9—10 diebus Martis, Mercurii et Jovis Physiologiam et Pathologiam generalem;

Semestri aestivo posterioribus diebus et horis, Therapiam generalem et Pharmacodynamicen e propriis schedis, prioribus, Elementa Physices ex elementari Prof. Markiewicz Compendio, Chirurgis inferioris ordinis 1mi et 2di anni polonice explicabit; eosdem vero anni 3tii Pathologiam et Therapiam specialem duce Raimano et Baumgärtnero hora 5—6. post merid. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris per utrumque semestre docebit. Tandem aestate eadem hora pomeridiana die Lunae, praemissis generalibus artis veterinariae praeceptis, doctrinam de morbis epizooticis et contagiosis, praeunte Wagenfeldio fusius profitebitur.

**FRIDERICUS SKOBEL**

M. ET CH. D. P. P. O.

Semestri hyemali, Hodegeticen medicam duce Friedlaendero tradet, diebus Martis, et Jovis hora 4—5. pomerid., Pathologiam generalem quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, mane hora 9—10 et post meridiem hora 4—5. diebus Lunae, Mercurii et Veneris praeunte Hartmanno docebit; scholis vero pathologicis absolutis, Diaeteticen, duce Knolzio, iisdem profitebitur horis.

Semestri aestivo, quotidie iisdem horis matut. et pomerid. inprimis Pharmacodynamicen una cum arte formulas medicas concinnandi, secundum Hartmannum et Sundelinum interpretabitur, dein institutionibus hisce ad finem adductis, in Therapia generali explicanda Conradium ducem sequetur.

**FRIDERICUS HECHEL**

M. ET CHIR. D. P. P. O.

Horis mat. 12—1 quotidie, festis et Saturni diebus exceptis, semestri hyemali medicinam forensam, duce Henke, aestivo politiam medicam, ducibus Bernt et Niemann, exponet.

Horis vero pomerid. 5—6 iisdem diebus per integrum annum historiam Medicinae et Chirurgiae, ducibus Sprengel et Mecker, tradet.

**JOSEPHUS KWAŚNIEWSKI**

M. ET CH. D. P. P. O.

Horis mat. 11—12. diebus Lunae et Mercurii semestri hyemali doctrinam de morbis feminarum, opus J. C. G. Joerg secuturus; semestri aestivo iisdem diebus et horis de morbis infantum, ducibus Ad. Henke et Wendt, profitebitur.

Horis matutinis 12—1 diebus Martis, Jovis et Veneris theoriam artis obstetriciae ducibus Froriep et Carus semestri primo tradet; feminis vero artem obstetriciam discentibus, semestri altero, iisdem diebus et horis, duce N. Mianowski, praecepta exponet.

## **ORDO PHILOSOPHORUM.**

**JOSEPHUS JANKOWSKI**

PH. ET J. U. D. P. P. O. H. T. FACULT. PHIL. DECANUS.

Horis pom. 1—2 diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris Psychologiam et Logicam auditoribus 1mi anni exponet.

Horis mat. 9—10 diebus Martis, Mercurii et Jovis Ethicam auditoribus 2di anni tradet.

Horis pomerid. 2—3 diebus Jovis et Saturni Historiam Philosophiae, duce Gmeiner, profitebitur.

**CAROLUS HUBE**

PH. D. P. P. O.

Horis mat. 8—10 diebus Lunae et Veneris, hor. item mat. 8—9 diebus Martis et Jovis Mathesin elementarem tradet auditoribus 1mi anni.

**ROMANUS MARKIEWICZ**

PH. D. P. P. O.

Horis mat. 10—11 diebus Lunae, Mercurii et Veneris; diebus vero Martis, Jovis et Saturni hor. mat. 10—11½ Physicam auditoribus 2di anni explicabit, opus Cl. Despretz secuturus. Praeterea experimenta longiuscula tempore commodiori oculis subjicientur.

Horis denique 11—12 diebus solis Mechanicam popularem artificibus, duce Baumgärten, tradet.

### MAXIMILIANUS WEISSE

PHIL. ET U. J. D. P. P. O. OBSERVAT. ASTRON. DIRECTOR.

Horis mat. 9—10 diebus Lunae, Mercurii et Veneris Mathesin sublimiorem, ducibus Burg, Ettingshausen et Poisson, tradet.

Horis vero mat. 10—11 diebus Lunae, Mercurii et Veneris Astronomiam, ducibus Santini et Littrow, docebit.

### CAJETANUS TROJANSKI

PH. D. P. P. O.

Horis mat. 9—10 diebus Mercurii et Saturni Philologiam latinam et horis iisdem, diebus Martis et Jovis, Literaturam Polonicam auditoribus 1mi anni tradet.

Horis vero mat. 8—9 diebus Mercurii et Saturni Philologiam latinam, et horis iisdem, diebus Martis et Jovis Literaturam Polonicam auditoribus 2di anni exponet.

### MICHAEL WISZNIEWSKI

PHIL. D. P. P. O.

Horis pom. 2—3 diebus Lunae et Veneris Historiam universalem auditoribus 1mi anni tradet, duce Rühls et Heeren.

Horis pom. 2—3 diebus Martis, Jovis et Saturni Historiam universalem auditoribus 2di anni tradet, ducibus iisdem ut supra.

Horis denique 3—4 diebus Lunae et Veneris Historiam literariam universalem, duce Wachler, exponet.

## FRANCISCUS XAV. STACHOWSKI

S. THEOL. ET PHIL. D. P. P. O.

Horis pom. 2—3 diebus Martis et horis mat. 8—9 diebus Saturni Doctrinam Religionis auditoribus 1mi anni,

Horis vero mat. 8—9 diebus Lunae et Veneris Doctrinam Religionis auditoribus 2di anni exponet.

Horis denique mat. 10—11 diebus Martis et Saturni Linguam graecam docebit, et horis pom. 3—4 diebus Martis et Saturni Paedagogiam tradet.

## JOSEPHUS MUCZKOWSKI

PHIL. D. PROF. BIBLIOGRAPHIAE P. O. ET BIBLIOTHECARIUS.

Horis pom. 2—3 diebus Lunae, Veneris et Saturni Bibliographiam profitebitur.

## JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI

PHIL. D. OBSERV. ASTRON. ADJUNCTUS.

Horis mat. 9—10 diebus Lunae, Mercurii et Veneris, Mathesin sublimiorem docebit, ducibus Ettingshausen et Burg.

Lectorium in Bibliotheca publica universitatis semestri hyemali quotidie, exceptis diebus festis a hora mat. 9—1. semestri aestivo a hora mat. 9—12 et post merid. a hora 3—6, Observatorium astronomicum horis pom. 3—6 diebus Jovis et Solis, Museum Physicum die Mercurii a hora 9 matutina ad 12 curiosis, qui adesse dignabuntur, patebunt; hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Observatorium, Musea et Hortum botanicum invisere cupiunt, nulla hora praefinita est,

dummodo tempus praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis  
 Museum et Horti botan. condonare velint.

Linguae Germanicam hora pom. 5—6, Augustus Otremba, Gallicam quo-  
 tidie hora 11—12 et insuper diebus Lunae et Mercurii hor. pom.  
 3—4. Franciscus Aubertin, Rossicam hor. pom. 2—3 diebus Lunae,  
 Mercurii et Veneris, diebus vero Martis, Jovis et Saturni hor. pom.  
 4—5. Hieronymus Mecherzyński Phil. Mag. docebunt.

JOHANNES GANTHUS STERNOWSKI

JOHANNES GANTHUS STERNOWSKI